



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

Distinctio Nona. De Casibus Reservatis, & Sigillo Confessionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

magnâ prudentiâ Confessarij, eumque oportet hoc perpendere ex qualitate personæ, & alijs circumstantijs.

Aut est spes profectus?

54. Resp. III. Quando etiam ignorantia est invincibilis, adest tamen spes profectus, debet Confessarius poenitentem admonere. Ita Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 38.* cum alijs. Ratio est: quia quilibet approbatus Confessarius tenetur lege Charitatis docere Proximum errantem.

Vel poenitens petat resolutionem dubij?

55. Resp. IV. Quod si poenitens aliquid patiat dubium, illiusque resolutionem petat, tenetur Confessarius illi veritatem aperire, licet non ignoret, poenitentem suis dictis & monitis non obtemperaturum. Ita Sanchez *loc. cit. num. 14.* cum alijs. Ratio est: quia poenitens, eo ipso, quod dubitet, jam habet in conscientia remorsum peccati sui, ita ut amplius in bona fide non sit; unde taciturnitas Confessarij foret illius erroris approbatio.

Generalia circa scientiam & prudentiam Confessarij.

56. Cæterum, quomodo circa præmissa, & alia plurima, oporteat vigilare scientiam & prudentiam Confessarij, paucis hinc pagellis pro dignitate nequit comprehendere, eo quod negotium hoc sit valde arduum. Tota Theologia Moralis ad istud Sacerdotis officium ritè ordinandum incumbit, innumeri Libri & Tractatus Theologici hætenus editi, & imposterum edendi, in hoc ipsum allaborant: ut autem actu ipso omnia legitime perficiantur, post sedula Litterarum studia, nec non & debitam Librorum Theologicorum lectionem, gratia Spiritus Sancti humilibus precibus erit imploranda.

## DISTINCTIO IX.

### De Casibus Reservatis, & Sigillo Confessionis.

## QUÆSTIO I.

Quid sit Reservatio Casuum, & à quo fieri possit?

Casus reservatus, quid? I.

**C**ONCL. I. *Reservatio Casuum* aliud non est, quam negatio jurisdictionis absolvendi circa aliquod peccatum. Ita in re communis. Hinc *Casus reservatus* bene definitur, quod sit peccatum mortale externum, ad cuius ab-

solu-

solutione inferioribus Sacerdotibus iurisdicção non est concessa.

2. Dicitur, *iurisdicção non est concessa Sacerdotibus*. Siquidem per actum Reservationis principaliter, ac directè, tantum afficitur persona Confessarij, eius iurisdictionem arctando; & indirectè solum persona ipsius pœnitentis, eò quòd à tali Confessario ob defectum iurisdictionis à Casu reservato absolvi non possit: prout inter alios notat Fagnanus *cap. Omnis. num. 78. & seqq. de Pœnit. & remiss.* ubi ad longum probat, quòd per actum Reservationis Casuum non afficiatur nisi persona Sacerdotis Confessiones audientis, licet indirectè obiter pœnitentibus. Unde infert, quòd Regulares intra Diœcesin Episcopi approbantis possint absolvere pœnitentem alterius Diœcesis à Casibus in Diœcesi pœnitentis reservatis, si hi non sint reservati in Diœcesi, in qua Confessiones audiunt: cum Regulares habeant, iurisdictionem à Papa, & Episcopus alterius Diœcesis nequeat, etiam quoad suos subditos, limitare iurisdictionem Sacerdotis sibi non subditi.

Per actum reservationis directè afficitur persona Confessarij, &c.

Corollarium.

3. CONCL. II. Certum est, dari in Ecclesia DEI potestatem reservandi Casus aliquos, sive causas criminum graviorum, à quibus inferiores Confessarij absque speciali licentia, & facultate, extra mortis articulum absolvere non possunt. Patet hoc præter continuam praxin, & sensum Ecclesiæ, ex Concilio Trid. *Sess. 14. can. 11. cap. 7.* ubi proinde monet in hæc verba: *Extra quem articulum mortis Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant.*

Datur in Ecclesia potestas reservandi casus.

4. CONCL. III. Sola peccata mortalia, eaque non nisi certa, externa, ac opere consummata, reservari solent. Ita Lugo *disp. 20. de Pœnitent. sect. 2. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 3.* Herincx *disp. 6. de Pœnitent. num. 6. & seqq.* cum alijs passim. Dicitur, *reservari solent*: nam quamvis peccata mortalia etiam merè interna possent reservari, tamen in usu non est, neque expedit, ut eadem reserventur. Deinde quoties morale dubium est de reservatione Casus, jam is non censetur reservatus, si ve sit dubium juris, si ve facti: siquidem reservatio est valdè odiosa, & strictè interpretanda, adeoque intelligi debet de Casibus certis & indubitatis. Herincx *loc. cit. num. 7.* Suarez, & communis.

Quæ peccata reservari soleant?

Quid de casu dubio?

Papa ordi-  
nariè non  
reservat  
peccatum,  
nisi ob an-  
nexam ex-  
communi-  
cationem.

5. CONCL. IV. Papa ordinariè nullum peccatum mortale sibi reservat, nisi propter annexam Censuram excommunicationis sibi idem reservatæ. Ita Herinex *cit. num. 6.* Navarrus, Tole- tus, Henriquez, Layman, aliique communiter: dummodò exci- piatur unus, vel alter casus, in quo oppositum habetur speciali- ter expressum; prout Sixtum V. in Bulla, contra malè promo- tos, quæ incipit, *Sanctum & salutare* (ac habetur tom. 2. Bullarj Romani *Constit. 91. dicti Pontif.*) reservâsse sibi peccatum istud abs- que alia excommunicatione annexa, notat ibidem Lugo *n. 25.* Et hinc in Conclusionè additur *ly, ordinariè.*

Unde hac  
sublatâ, qui-  
libet Con-  
fessarius ab-  
solvit à pec-  
cato.

6. Infertur proinde, quòd si Papa, aut ejus Pœnitentiarius, aliquem absolvat à sola Censura excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, possit postmodum quilibet inferior Confes- sarius in Foro conscientie absolvere hominem illum à peccato ipso, cui talis excommunicatio adjuncta fuit. Idem dicendum, si quis tempore Jubilæi, vel aliàs Confessario habenti specialem facultatem absolvendi à Casibus Summo Pontifici reservatis fuis- set confessus, ab eoque absolutus ab omni vinculo excommunica- tionis, omisâ tamen per oblivionem confessione Casus reservati Papæ: nam talis poterit postmodum per quemlibet Confessâ- rium ab eodem casu absolvi, eò quòd jam fuerit antea absolutus ab excommunicatione Papæ reservatâ; sublatâ autem excom- municatione non amplius manet reservatio Casus Papalis.

Item, si  
Censura nõ  
fuit con-  
tracta.

7. Infertur ulteriùs: Si quis commisit peccatum Summo Pontifici reservatum, sed ob ignorantiam, aut aliam causam à Censura Papali excusatus fuit, talem etiam ab inferiori Confes- sario absolvi posse: siquidem sublatâ, vel non contractâ Censu- râ excommunicationis, etiam ablata censetur reservatio. Pir- hing *tit. de Hereticis, n. 37.* Ballæus *ÿ. Casus reservatus n. 2.* Lay- man *n. 2. & alij.*

Casus refer-  
vati SS. Pon-  
tifici, qui ?  
(a) *Videa-  
tur Tr. 13.  
Dist. 2. n.  
55. & seqq.*  
Episcopi  
possunt re-  
servare Ca-  
sus pro suis  
Diocesi-  
bus.

8. CONCL. V. Casus reservati Summo Pontifici, continen- tur partim in Bulla Cœnæ Domini, sic dictâ, quòd eandem Sum- mus Pontifex singulis annis in die Cœnæ Domini solemniter pro- mulgari faciat (a) partim in Jure Canonico, & diversis Bullis Pontificijs.

9. CONCL. VI. Etiam Episcopi pro suis Diocesisibus possunt sibi reservare certos Casus, à quibus Confessarij absolvere ne- queunt absque licentia, & facultate ipsorum speciali. Patet hoc tum ex perpetua praxi, sensûque Ecclesiæ; tum ex Con- cilio Trid. *Sess. 14. cap. 7. & can. 11.* sic definiente: *Si quis dixerit,*  
*Ep.*

Quaest. II. De absolutione à Casibus reservatis in- & extra &c. 1037

Episcopus non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque idèd Casuum reservationem non prohibere, quò minùs Sacerdos à reservatis verè absolvat: anathema sit.

10. Cæterùm Casus Episcopis reservati continentur in proprijs singularum Dioecesium Ritualibus, & variantur juxta exigentiam & diversitatem Dioecesium: quamvis isthæc reservatio non afficiat personam Confessarij extra ejusmodi Dioecesi existentis, si Casus in Dioecesi Confessarij reservatus non sit, ut dictum n. 2. Ubi tales x. periantur?

11. De cætero quoad potestatem absolvendi Sæculares, Cautela quoad Regulares. imposterùm Regularibus cavendæ erunt duæ Propositiones, ab Alexandro VII. damnatæ, quarum prior, ordine 4. sic sonat: *Praelati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolvere quoscuq; sæculares ab hæresi occulta, ab excommunicatione propter eam incursum.* Posterior autem, ordine 12. est ista: *Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.*

## Q U Æ S T I O II.

### De absolutione à Casibus reservatis in- & extra Articulum mortis.

12. **C**ONCL. I. In mortis articulo quilibet Sacerdos potest absolvere ab omnibus Casibus reservatis. Pater hoc ex dictis *Dist. præc. num. 53.* & Concilio Trident. ibidem relato. In mortis articulo absolvere potest quilibet Sacerdos, Articulus mortis, &

13. Porrò per *Articulum mortis* non duntaxat intelligendus est quasi ultimus vitæ spiritus, sed etiam quodvis probabile mortis periculum, sive id accadat ex infirmitate, sive ex decreto Judicis quempiam morti adjudicantis, sive ex alijs causis, utputâ ex imminente belli conflictu, partu periculoso mulieris, aut navigatione periculosa, seu valde longâ, in qua Sacerdotis copia futura non est. Licèt enim in rigore differentia sit inter *Articulum*, & *Periculum mortis* (nam *Articulus mortis* propriè dicitur, quando ex ægritudine prudenter præsumitur mors secutura: *Periculum mortis* verò, cum datur occasio, in qua frequenter homines pereunt, ut in conflictu bellico, in periculosa navigatione, & hujusmodi) in præsentî tamen materia, utpote favorabili, idem est *Articulus mortis*, & probabile *Periculum* ejus: Periculum mortis, quid?

nam

nam morale periculum in malis ita existimari, & vitari debet, sicut eventus ipse, juxta illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Barbosa *part. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 25. n. 81.* Diana, Layman, & alij passim.

Sacerdos excommunicatus in mortis articulo absolvens non fit irregularis.

14. Advertendum etiam, quod Sacerdos excommunicatus in præfato mortis articulo quempiam absolvens, per hoc non incurrat Irregularitatem; uti post alios notat Barbosa in *Collectaneis ad Concilium Trident. Sess. 14. cap. 7. num. 15.* Nec obstat, quod cæteroquin violans Censuram Ecclesiasticam, fiat irregularis. Resp. enim, in hoc casu excusare necessitatem, si ve articulum mortis Proximo impendentis: eò præsertim, quod Concilium Trident. *cit. cap. 14.* ad hoc cuivis Sacerdoti expressam facultatem præbeat, ibi: *Atque ideò in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Absolutus à Casu reservato in mortis articulo non tenetur postea se sistere Superiori.

15. CONCL. II. Qui propter mortis articulum à Casibus reservatis per inferiorem Confessarium fuit absolutus, non tenetur amplius cessante periculo Superiori se sistere; nisi fuerit annexa Censura excommunicationis Superiori reservata. Ita Barbosa *cit. allegat. 25. num. 80.* & Doctores communiter. Ratio est: quia in mortis articulo habent omnes Sacerdotes potestatem, per se & directè absolvendi ab omnibus peccatis, ut patet ex Concilio Trid. *loc. cit.*

Nisi fuerit annexa excommunicatione.

16. Additur notanter, *nisi fuerit annexa Censura excommunicationis.* Quia absolutus in mortis articulo ab excommunicatione, cessante tali periculo tenetur se sistere Superiori; non quidem, ut iterùm absolvatur, sed ut mandatum ejus accipiat, & condignè satisfaciat: alioquin enim reincideret in eandem specie excommunicationem, & quidem ipso jure, propter novam inobedientiam, atque contemptum sese debite præsentandi de novo commissum; prout expressè statutum habetur *cap. Eos qui. de Sentent. excommunicat. in 6.* èstque communis Doctorum.

Extraarticulum mortis nequit Confessarius absolvere à Casu reservato.

17. CONCL. III. Extra casum articuli mortis, si Confessarius non præditus legitimâ facultate absolvendi animadvertat, quod pœnitens inter alia confiteatur peccatum reservatum, ordinariè loquendo non debet ipsum absolvere, sed ad Superiorem mittere; nisi ipsemet Confessarius possit, ac velit ab eodem facultatem absolvendi petere, tacito tamen nomine pœnitentis. Ita

Ita Doctores communiter, & concordat Concilium Trid. cit. Sess. 14. cap. 7. cuius verba n. 3. referuntur.

18. Dicitur, ordinariè loquendo. Nam, si urgeat aliqua necessitas, v. g. si poenitens longè distet ab Episcopo, & tamen nunc debeat celebrare, vel communicare; tunc Confessarius potest absolvere poenitentem, ita ut absolutio directè cadat super non reservata, tamen si solùm venialia, indirectè verò super reservata: cum onere tamen, ut poenitens postea Superiori, aut alteri habenti facultatem absolvendi, se præsentet, ab eoque, præviâ Confessione, à reservatis quoque directè absolvatur. Intellige, nisi malit ipsemet Confessarius à Superiore licentiam absolvendi impetrare, personam non nominatam, ut suprâ dictum.

Quid, si urgeat necessitas?

19. Adde cum Layman cit. tract. 6. cap. 12. n. 10. Suarez, Henriquez, & alij, idem dicendum esse, tamen si Censura excommunicationis, v. g. ob occultam Clerici percussorem, reservationi annexa sit: adhuc enim in casu necessitatis poterit is indirectè absolvi ab inferiori Confessario. Ratio est: quia excommunicatio solo Jure Ecclesiastico arcet à receptione Sacramentorum, & consequenter cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis. Quinimò, cum excommunicatus ad vitandam infamiam possit præmissâ contritione SS. Eucharistiam suscipere (b) cur non pariter urgente simili necessitate Sacramentum Poenitentiae?

Et Casus reservato sit annexa excommunicatio?

(b) Ut dicitur in Tr. 2. Dist. 2. n. 28.

20. Cæterùm in præmissò casu multi Doctores volunt, per se loquendo sufficere confiteri sola peccata non reservata inferiori Confessario; quam sententiam Herincx disp. 3. de Confessione, q. 5. num. 61. valdè probabilem asserit, eò quòd nemo per se loquendo obligetur ad idem peccatum bis confitendum. Oppositam tamen sententiam plurimi tenent Doctores, estque saluberrimum consilium, & per accidens quandoque necessarium, etiam peccata reservata inferiori Confessario exponere, ut sic poenitens in rebus necessarijs melius instrui, aut si indignus fuerit, à Sacramento Poenitentiae repellì possit; prout benè notat Herincx ibidem.

An tunc opus sit, confiteri peccata reservata?

Q99999

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

## De Sigillo Confessionis.

Sigillum  
Confessio-  
nis, quid?

21. **C**ONCL. I. Per *Sigillum Confessionis* aliud non intelligitur, quam obligatio illa, qua in secreto teneri debent peccata ex Sacramentali Confessione cognita. Et hæc obligatio dicitur *Sigillum*, sumptâ metaphorâ à sigillo materiali, quo solent obfignari res illæ, quas volumus omninò esse occultas, & secretas.

Quanta sit  
eius obliga-  
tio?

22. **C**ONCL. II. Certum est, talem obligationem nihil revelandi de peccatis in Confessione auditis, defacto extare: quæ quidem obligatio tanta est, tamque graviter Sigillum Confessionis obligat, ut communiter Theologi asserant, non licere Confessario ex quacunque causa, etiam gravissima, utputâ ob periculum vitæ suæ, imò nec ob periculum totius Reipublicæ, Confessionem revelare, aut peccatum in eadem auditum manifestare. Ratio hujus strictissimæ obligationis est: quia alioquin fieret injuria Sacramento Pœnitentiæ; simulque Confessio redderetur odiosa, & meritò retraherentur ab ea Fideles, si scirent, in aliquo casu posse peccata confessa revelari in eorum præjudicium.

Confessari-  
us tenetur  
celare pec-  
catam audi-  
tum, jure  
naturali,  
Divino,

23. **C**ONCL. III. Peccatum in Confessione detectum tenetur Confessarius celare tum Jure naturali, ac Divino positivo, tum etiam Ecclesiastico. Ita Scotus in 4. dist. 21. q. 2. & Theologi communiter. Ratio prioris partis est: quia alioquin hinc Lex naturæ de servanda Fidelitate, & secreto Proximi celando violaretur, illinc autem Præceptum Christi positivum. Nam Christus, dum instituit Sacramentum Pœnitentiæ, præcepitque Confessionem, simul Confessarijs arctissimam hanc Sigilli obligationem imposuit: ut patet tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ; tum ex eo, quia alioquin præceptum Confessionis non esset accommodatum conditioni humanæ, ac spirituali Fidelium utilitati.

Et Ecclesia-  
stico,

24. Ultima pars, quòd etiam Jure Ecclesiastico Sigillum Confessionis sit præceptum, patet inter alia ex cap. *Omnis utriusque sexus de Pœnit. & remiss.* ubi pœna Depositionis à Sacramentali Officio, ac perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio peragendæ, constituitur ijs, qui Sigillum Confessionis violaverint.

25. CON-



25. CONCL. IV. Sub Sigillo Confessionis non tantum ca-  
dunt peccata confitentis, sed etiam peccata complicis; item  
circumstantiæ peccatorum, quæ ad eorum Confessionem aliquo  
modo pertinent, & ex quarum revelatione potest confitenti e-  
venire infamia, vel aliud incommodum: utputa, si quis confes-  
sus sit, se illegitimè natum Sacros Ordines recepisse; se infami-  
bus parentibus ortum, nobilitatem generis jactasse &c. Tales,  
inquam, peccatorum circumstantiæ, v. g. defectus natalium, aut  
generis obscuritas, à Confessario manifestari non possunt sine Si-  
gilli violatione. Ratio est: quia per horum, ac aliorum simi-  
lium revelationem, confitenti fieret præjudicium, & sic Confes-  
sio redderetur odiosa.

Sub Sigillo  
Confessio-  
nis, quæ o-  
mnia ca-  
dant?

26. Similiter, atque ob eandem rationem, violatur Sigil-  
lum Confessionis, si Confessarius generatim dicat, Titium sibi  
confessum esse peccatum mortale, vel habuisse Casum reserva-  
tum, aut Censuram excommunicationis. Item, si dicat, se il-  
lum non absolvisse, quia non rectè dispositus erat. Insuper Con-  
fessarius violat Sigillum, si peccatum aliquod veniale in specie  
revelet: secus foret, si solum in genere; cum certum sit, pœ-  
nitentem ad minus peccatum veniale confiteri debuisse, nam al-  
ioquin Confessio non subsisteret. Unde si quis dicat, Titium con-  
fessum sibi esse peccatum veniale, Sigillum non violatur: bene  
tamen, si dicat, Titius confessus est mendacium. Monet quo-  
que Layman *lib. 3. tract. 6. cap. 14. n. 6.* cum alijs, cavendum esse  
Confessario, ne aliquo loquendi modo sinistram de confitente o-  
pinionem apud alios generet; v. g. si dicat: *Titius minutissimis*  
*suis peccatis sæpe mihi molestus est.* Significare enim videtur, illum  
scrupulosum esse, & sic indirectè sigillum Confessionis violabit.  
Quod ultimum, ut melius intelligatur, sit

Corollarium.

27. CONCL. V. Sigillum Confessionis duplici modo viola-  
ri potest, directè scilicet; ac indirectè. *Directè* tunc violatur  
quando Confessarius expressè & apertè peccatum confessum,  
aut aliquid aliud sub Sigillo cadens, manifestat. *Indirectè* viola-  
tur Sigillum Confessionis, quando, licet Confessarius nihil apertè re-  
velet, ita tamen verbis vel signis se gerit, ut alter possit in noti-  
tiam peccati confessi devenire, & colligere, hunc pœnitentem  
habuisse peccatum mortale, vel certum veniale &c. Ita Docto-  
res communiter.

Sigillum  
Confessio-  
nis potest  
violari dire-  
ctè, & indi-  
rectè.

28. Ita Conclusio, ac præsertim secunda pars ipsius, am-  
plius declaratur exemplis. Sic quippe Parochus publicè cupiam

Exempla  
violationis  
indirectæ.

Qqqqqq 2

RG.

negans Sacramentum, v. g. Eucharistiæ, propter solam noticiam è Confessione acceptam, indirectè frangit Sigillum. Similiter Confessarius, si absolutè dicat, se non absoluisse Petrum, nullà alià addicà rationabili causâ, frangit Sigillum indirectè, eò quòd absolutio nulli negetur, nisi supposità indispositione pœnitentis, aut ob Casum reservatum. Unde si interrogetur Confessarius, an hunc vel illum absolverit, non debet absolutè negare, neque affirmare, se absoluisse, si non absolvit; sed optimum erit dicere, se functum fuisse munere suo.

Nota hujus  
exempla.

29. Insuper Sacerdos, qui aversionem aliquam à peccatore ex notitia accepta in Confessione concipit, ac severiorem vultum eâ de causâ illi ostendit, aut minùs gratè ei colloquitur &c. frangit Sigillum indirectè: quia sic factò exprobrat pœnitenti peccata confessa; & si hoc liceret, redderetur Confessio multùm odiosa, præsertim inter eos, qui simul debent cohabitare. Marchantius, Lugo, Bonacina, & alij. Similiter illicitum est, extra Confessionem revocare pœnitenti in memoriam sua peccata confessa, etiam ipsum consolandi gratiâ: quia ipse hac ratione confunderetur, sicque Confessio, si hoc passim liceret, odiosa redderetur.

Cautela notabilis.

30. Hinc non immeritò Clemens VIII. in Decreto, De Casibus reservatis, die 26. Maij. 1593. edito (& verbatim refertur à Bassæo, *ſ. Casus reservatus, num. 40.*) universis Regularibus sic mandavit: *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioratus gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur &c.* Quod Decretum, etsi specialiter de Regularibus, utpote perpetuò simul cohabitantibus loquatur, quia tamen quoad hoc punctum consonat juri naturali, ac Divino, etiam ad alios extendendum erit, ne Sacramentalis Confessio quoquo modo reddatur odiosa.

Quando Confessarius possit uti notitiâ Confessionis?

31. CONCL. VI. Nihilominùs licitè utitur Confessarius notitiâ Confessionis ad actiones non afferentes ullum prorsus incommodum pœnitenti, vel complici. Ita in re communis: sic enim Confessio non redditur ullatenus odiosa, vel onerosa. Et utique propter noticiam ex sola Confessione haustam potest Confessarius orare DEUM pro salute sui pœnitentis, ob consuetudinem occultorum peccatorum de æterna salute periclitantis: potest etiam DEUM orare, ut se per gratiam suam à similibus peccatis misericorditer præservet: potestque se magis præ-

cave-

cavere ab illis peccatorum incitamentis, & initijs, quibus videt poenitentem suum à diabolo seductum fuisse, ac postea graviter cecidisse, & hujusmodi. Rursum Concionator, vel Scriptor rerum ad mores spectantium, potest eiusmodi notitiâ uti ad parandas tantò aptius Conciones, vel Commendationes, dummodò hoc ita fiat, ut nulli exinde incommodum sequatur, neque scandalum pusillorum sequi valeat.

32. Et hoc ultimum notanter additur: quia coram simplicioribus hominibus cavendum est Confessarijs, ac præsertim Concionatoribus, ne dicant, sese hoc vel illud è Confessionali scire; nam per hujusmodi dicta facile simpliciores scandalizantur. Unde infert Gobat *Tract. 7. Theolog. Experim. num. 878. cum Diana part. 3. tract. 4. resol. 76.* quòd communiter peccent graviter Concionatores, præsertim si sint Parochi, quando dicunt expressè, se hæc vel illa peccata percepisse in Confessione: quia communiter homines, præsertim plebei, scandalizantur similibus verbis.

33. Ex dictis patet resolutio illius Quæstionis, utrum Sacerdos, si ex notitia Confessionis sciat, sibi in via, vel in nemore, parari insidias, aut præberi venenum in poculo, possit hoc periculum declinare? Resp. enim, hoc licitè fieri, dummodò id occasione aliunde acceptâ, absque ullo detrimento, pudore, aut manifestatione confitentium fieri possit; ut notat Scotus *in 4. dist. 21. quæst. 2. §. Ad argumenta*, & Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 16.* citans plurimos alios. Secùs dicendum, si id fieri nequeat sine præjudicio, manifestatione, aut suspicione Rei confessi: nam sic redderetur Confessio odiosa.

34. CONCL. VII. Utrum de licentia poenitentis possit Confessarius revelare Confessionem Sacramentalem, disputant Theologi. Negant plerique ex antiquioribus, ac præsertim Scotus *cit. dist. 21. quæst. 2. Alensis*, aliique. Ratio est: quia, licet poenitens possit cedere jure suo, non tamen potest cedere jure Sacramenti: atqui Sigillum est introductum Jure naturali, atque ex primaria Christi institutione, in favorem Sacramenti, & secundariò solùm in favorem poenitentis; ergo.

35. Oppositum docent multi alij cum D. Thoma *in Supplemento, part. 3. quæst. 11. art. 4.* Tum quia, si poenitens det licentiam loquendi de peccatis in Confessione auditis, videtur cessare ratio secreti naturalis, atque reverentiæ Sacramenti. Tum

Q99999 3

quia

quia *cap. significasti. de Adulterijs*, legitur, quod de licentia mulieris Sacerdos, cui hæc confessio fuit, dixerit, eam sibi confessam esse adulterium; nec tamen in hoc casu vel minimum Sacerdos reprehenditur à Papa. Verum Barbosa *ad cit. cap. significasti num. 2.* post Navarrum *in c. Sacerdos. de poenit. dist. 6. num. 126.* & quidam alij censent, illud Capitulum loqui non de Confessione Sacramentali, sed extra Sacramentum Sacerdoti tam per adulterum, quam adulteram factam. Et hinc præsens Quæstio ulteriori Disputationi Theologicæ relinquatur.

Præter Confessarium, qui alij tenentur ad Sigillum?

36. CONCL. VIII. Præter Confessarium, ad quem Sigillum Confessionis principaliter spectat, obligatur quoque ad tacendum aliæ personæ, ad quas Sacramentalis Confessio immediatè, vel mediatè pervenit: ut putantur altantes, quidpiam audientes; interpretes, per quem facta est Confessio; item ille, cui ponitens bonâ fide confitetur, existimans eum esse Sacerdotem, cum non sit. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia huiusmodi revelatio foret contra reverentiam Sacramenti, ipsamque Confessionem redderet odiosam.

Quid, si quis alterius Confessionem scriptam reperit?

37. Addunt nonnulli, eum quoque teneri Sigillo Confessionis; qui Confessionem alterius memoriæ causâ scriptam reperit. Sed alij rectius negant, hunc Sigillo Sacramentali obligari. Rationem dant, quod talis Scriptura non sit Confessio Sacramentalis, sed tantum remotè ac per accidens ordinetur ad Sacramentum Confessionis. Interim tamen ille, qui talem scriptam Confessionem reperit, arctissimo secreto naturali obligatur, adeo ut peccet mortaliter, si gravia, seu diffamantia peccata consultò legat, aut lecta alijs evulget: quamvis sæcùs sit, si ex curiositate sola levia peccata legat, vel lecta alijs revelet. Layman *loc. cit. quæst. 8. num. 19.* & alij.

DI: 10

DI